



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Sedecia Eliacimi Frater. Sortitio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

SEDECIA
ELIACIMI FRATER.
SORTITIO.

Excidit infelix par Fratrum,
 Quorum alterum feræ, alterum furor absumpsit,
 Te vero Sedecia, tertia fors manet,
 Utraque peior.

Movente Regalem urnam Fortunâ,
 Jechonia Eliacimi filio Babylonem abducto,
 Nepotis sceptrum à victore impetrabis.
 Equè in Nepotem durus, in hostem mollis,
 Ut illum spolies, huic servies,

Mutato etiam nomine, ex Mathania Sedecias,
 Justi nihil habebis præter nomen.

Toties direptam Urbem diripies:

De pauperum penu Idola recreabis hostilia:

Præcias Vatum fauces obstringes:

Quasi fatum tuum in Vatum pectore conclusurus,

Sed divino consilio consilium adimitur,

Deo simul & Chaldæo fœdifragus,

Tributi jugum dum excutis, sub jugum cades.

Nabucodonosore novissima expeditione grassante,

Hierusalem, per te non Hierusalem,

Clauderetur, incendetur, solo æquabitur.

Tu tot inter mortes mortem non reperies.

Miserius enim est misero animam trahere, quam tradere.

Reductis brachiis Babylonem traheris catenarius canis,

Manu & oculis captus; oculis & Liberis orbus.

Planè inter pudenda impudens,

Cum oculos amiseris, pudoris sedes.

Itaque cum Babylonium tibi carcerem Ezechiel minetur;

Tu Babylonem te visurum neges;

Uterque divinabitis,

Cæcus Urbem in Urbe non videbis.

Verus Sedecias, Justitiæ simulacrum, quia cæcum,

Peribis tandem veteranum mancipium;

Et acervo ignobili additus,

In tanto Patriæ rogo, rogo carebis,
Nam sceleribus clarus, rogi luce non egēs.

SUSANNA
HELICIÆ FILIA.

ADMONITIO.

Adeste Nuptæ, Innuptæque;
Quarum Virtus in pulchritudine, nō pulchritudo in Virtute,
Docbo quam speciosum damnum fit species,
Susanna fui, ex Regiâ domo in Regiam domum ducta,
Quâ formâ fuerim, ex nomine habes,
Quid enim Susanna, nisi Rosa?
Florum nempe Regina, & Reginarum flos,
At nimium felix eram si forma defuisset;
Quam perdere dum metuo, penè me perdidit.
Babylone captiva,
Colebam hoc quaecunque corporis decus;
Unum captivitatis solamen uni Conjugi.
Itaque nudam me nemini ostendi, nisi thalamo, & fonti,
Occlusis pomarii foribus; nec solem arbitrum passa,
Quem, meridie carlorem, nemus arcebat;
Addebam membris lympharum nitorem;
Liberatoque capillamento,
Aureas undas comarum, argenteis fontis undis mergebam;
Ut fontem in fonte diceres.
Neque speculo opus: in speculo natabam:
Tergente simul, & imaginem reddente rivo,
Qui blando susulto membris adulatus;
Non tam lavabat, quàm laudabat.
Inepa, quæ fugax donum fugacioribus morabar undis
Ne lubricâ ex imagine formæ inconstantiam novi,
Proh sanctè pudor, quid usque securum;
Falsum est à fucis tutam esse Rosam,
Latebant inter virgula amasii duo,
Angues in herbâ.
Hi Populatum Seniores erant, & iudices,
Quos, vel inter argentes aquas, urabam;